

91.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquin s. pl. d. Car.
· Linné.

Accepi jam tandem gratissimas Tuas plantas, quibus me beare voluisti, sed morbo detentus fui per totam aestatem, necdum convalui, ideoque vix potui fugitivis oculis perlustrare hunc thesaurum, si vero reconvalescam primum mihi erit attente has examinare et in usum meum vertere; interim devotissimas Tibi gratias persolvo.

Upsaliae 1776. 1. Augusti.

92.

Carolus a Linné Filius, Medicinae et Botanices Professor Upsaliae, *Celeberrimo D^{no} Professore Jacquin S. C. M. Consiliario S. P. D.*

Lento per biennium morbo intabescens, omnibus tandem prostratis corporis viribus, vitae statione septuagenarius decessit pater opt. Archiater et Eques de stella polari CAROLUS a Linné d. IV. Iduum Jan. MDCCLXXXVIII.

Hunc mihi totique domui Ejus luctuosum casum, exigente id non sincera minus in TE observantia mea, ac quae beate defunctum TIBI junxit amicitiae necessitudine, obsequiosissime significandum putavi.

Ut vero, qui TE coluit, viri post funera beati memoriae favcas, quaque ille, dum in vivis erat, apud TE valuit, gratiae haeremem constituas Filium, quo decet verborum honore contendo, Deum immortalem precaturus, velit, in singulare scientiarum decus et emolumentum, TIBI, vir *Illustris* extantum omnique felicitatis genere refertum vitae spatium concedere.

Dabam Upsaliae d. X. Cal. Febr. MDCCLXXXVIII.